



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

Parisiis, 1644

Concilium Arelatense II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14887

redeant. Sed cum illi penitus restitissent, imperator eos exilio multavit. Mentio huius Concilii habetur in epistola catholicorum episcoporum & clericorum Ægypti ad Leonem, quæ extat supra post Calchedonense Concilium. Vide quæ dixi in notis Concilii Calchedonensis, verbo *exemplar*.

ANNO CHRISTI 451.

ADMONITIO IACOBI SIRMONDI

De Concilio sequenti.

DE Concilio Arelatenſi II. quod ſequitur, duo paucis admonendus es, lector. Vnum, quod magnam in hac editione Canonum acceſſionem factam vides, ſecutos in ea nos eſſe vetuſtiſſimum exemplar ſanctæ Mariæ Rhemenſis, quod & titulos & Canones hocce numero atque ordine continebat. nec dubium videbatur, quin hæc vera olim ac germana Concilii prima editio fuiſſet. Alterum, cum exploratum hæcenus de Concilii huius tempore nihil ſit, nos in eo collocando id ſpectaſſe, vt iis omnibus Conciliis, quæ priora illo fuiſſe conſtare, ſubiiceremus.

1^a CONCILIVM ^b ARELATENSE II. ANNO CHRISTI 451.

Binius c. tempore Siricii papæ celebratum putat.

SVB RAVENNIO, VT VIDETVR, EPISCOPO per hæc tempora celebratum, post Arauſicanum videlicet, & Vaſenſe, quorum ex Canonibus Concilii huius Canones pro parte contexti ſunt.

TITVLI CANONVM.

- | | |
|---|---|
| I. Neophytum leuitam, vel sacerdotem non ordinandum. | VIII. Qui alterius excommunicatum receperit. |
| II. Si conjugatus ad sacerdotium fuerit electus. | IX. De Nouatianis non nisi damnato errore recipiendis. |
| III. Quæ mulieres in domibus habitent clericorum. | X. De his qui in persecutione fidem Christi negauerint, quantum temporis, vt recipiantur, penitentiam agant. |
| IV. Vt puella ad cellarium clerici non intromittantur. | XI. Si qui in persecutione fidem negantes sacrificare compulsi sunt. |
| V. Vt episcopus sine metropolitani epistola, & tribus comprouincialibus, non ordinetur. vel si in duas fuerit electio facta personas. | XII. De his qui in penitentia positi exceſſerunt. |
| VI. De eo qui sine conscientia metropolitani episcopus fuerit ordinatus. | XIII. Nullus clericus suam relinquat ecclesiam. quod si in aliena ecclesia, habitans, inuito episcopo suo fuerit ordinatus, irrita sit ordinatio. |
| VII. De his qui se carnaliter abſcidunt. | XIV. Vt clericus pecuniam ad v- |

ANNO CHRISTI 452.

- suram non donet, nec conductor aliena rei, vel negotiator existat.*
- XXV. *Vt diaconus in secretario inter presbyteros non sedeat, nec corpus Christi tradere presente presbytero presumat.*
- XXVI. *De Photiniacis, vel Paulianistis.*
- XXVII. *De Bonosiacis, qualiter, si petierint, recipiantur.*
- XXVIII. *De privilegio Arelatensis episcopi ad Synodum congregandam.*
- XXIX. *Si quis episcopus ad Synodum venire distulerit, aut de Concilio sine permisso discesserit.*
- XXX. *De agitatoribus, sive theatricis.*
- XXXI. *Si penitentiam professi nupsierint.*
- XXXII. *Si coniugati penitentiam sibi dari petierint.*
- XXXIII. *Si in cuiuscumque territorio arbores, fontes, vel saxa venerantur.*
- XXXIV. *De his qui fratribus suis aliquid falso obiecerint.*
- XXXV. *De his qui religione professi apostatant, vel post penitentiam habitum sacularem presumunt.*
- XXXVI. *Si hereticus moriens catholicus esse desiderat.*
- XXXVII. *Qui baptizandi officium accepit, sine chrismate non procedat.*
- XXXVIII. *De penitentibus in extremis, qualiter communicent.*
- XXXIX. *Si clericus penitentiam sibi dari petierit.*
- XXXX. *Confugientes ad ecclesiam tradi non oportet.*
- XXXI. *Si quis clericus relicta Synodo patrocinia secularia expetierit. ut causa clericorum non secularium, sed episcoporum iudicio terminentur.*
- XXXII. *Si quis pro eo quod mancipia sua in ecclesia perdit, mancipia clericorum peruasit.*
- XXXIII. *Si quis manumissum seruitute oppresserit.*
- XXXIV. *Si quis manumissum in seruitutem reuocandum putarit.*
- XXXV. *Si quis alienum clericum ordinare instituat.*
- XXXVI. *Si quis episcopus in alieno territorio ecclesiam edificauerit, a quo debeat consecrari & gubernari.*
- XXXVII. *Si quis ecclesiam edificat, & ad dedicandum locum ipsum aliena episcopum ciuitatis inuitat.*
- XXXVIII. *De his qui subito obmutescunt, vel amentes fiunt.*
- XXXIX. *Energumenis baptizatis communionem non negandam.*
- XL. *De energumenis catechumenis.*
- XLI. *Si qui palam aliquando arrepti sunt.*
- XLII. *Si duo, sine epistola metropolitani, episcopum ordinauerint.*
- XLIII. *Si diaconus ordinandus fuerit coniugatus.*
- XLIV. *Si post benedictionem acceptam, cum uxore sua incontinentis inuenitur.*
- XLV. *Vt bigami ultra subdiacognatum non promouantur.*
- XLVI. *Professe vidua si raptoribus consenserint.*
- XLVII. *Qui oblationes fidelium suppresserint.*
- XLVIII. *Si quis episcopi sui sententia non acquiescit.*
- XLIX. *Qui a comunione sacerdotali auctoritate fuerit suspensus.*
- L. *De his qui inter se pacem non habent.*

LI. De expositis quid obseruan-
dum.

LII. De puellis conuersis, si ad ter-
renas nuptias transierint.

LIII. Si seruus furore actus se-
ipsum percusserit.

LIV. De eligendis episcopis, vena-

litate, vel ambitione submota.

LIV. Si quis secularium religionis
amore se ad sacerdotem contu-
lerit.

LVI. Vt nihil metropolitani sibi
contra Synodi interdictum pra-
sumant.

ANNO
CHRISTI
432.

CANONES.

I.

Ordinari ad diaconatus ac sacerdotii officium
neophytum non debere.

II.

Distinct. 18.
Assumi ali-
quem.

Assumi aliquem ad sacerdotium non posse in
coniugii vinculo constitutum, nisi fuerit praemissa
conuersio.

III.

Si quis clericus a gradu diaconatus in solatio suo
mulierem, praeter auiam, matrem, sororem, fi-
liam, neptem, vel conuersam secum vxorem, ha-
bere praesumpserit, a communione alienus habeat-
ur. Par quoque & mulierem, si se separare nolue-
rit, poena percellat.

IV.

Nullus diaconus, vel presbyter, vel episcopus,
ad cellarii secretum intromittat puellam, vel inge-
nuam, vel ancillam.

V.

Ino part. 5.
cap. 138.

Episcopum sine metropolitano, vel epistola
metropolitani, vel tribus comprouincialibus, non
liceat ordinare: ita vt alii comprouinciales episto-
lis admoneantur, vt se suo responso consensisse si-
gnificent. Quod si inter partes aliqua nata fuerit
dubitatio, maiori numero metropolitanus in ele-
ctione consentiat.

ANNO
CHRISTI
431.

VI.

Illud autem ante omnia clareat, eum qui sine conscientia metropolitani constitutus fuerit episcopus, iuxta magnam Synodum esse episcopum non debere.

Iuo patr. 5.
cap. 74.
Conc. Nic.
Can. 6.

VII.

Hos qui se carnali vitio repugnare nescientes abscidunt, ad clerum peruenire non posse.

Dist. 55. Hi
qui se car.
nali.

VIII.

Si quis excommunicatum alterius, siue clericum, siue sæcularem, recipere post interdictum præsumperit, nouerit se reum fraternitatis factum, causam in Concilio redditurum.

IX.

Nouatianum in communionem recipi non debere, nisi suscepta pœnitentiæ credulitate præteritum damnet errorem.

X.

De his qui in persecutione præuaricati sunt, si voluntarie fidem negauerint, hoc de eis Nicæna Synodus statuit, vt quinque annos inter catechumenos exigant, & duos inter communicantes: ita vt communionem inter pœnitentes non præsumant. in potestate tamen vel arbitrio sit episcopi, vt si eos ex animo errorem deslere & agere pœnitentiam viderit, ad communionem pro ecclesiastica humanitate suscipiat.

Conc. Nic.
Can. 11.

XI.

Si qui vero dolore victi, & pondere persecutionis, negare vel sacrificare compulsi sunt, duobus annis inter catechumenos, triennio inter pœ-

nitentes habeantur a communione suspensi.

ANNO
CHRISTI
452.

XII.

De his qui in pœnitentia positi vita excefferunt, placuit nullum communione vacuum debere dimitti; sed pro eo quod honoravit pœnitentiam, oblatio illius suscipiatur.

XIII.

Nullus cuiuscumque ordinis clericus, non diaconus, non presbyter, non episcopus, quacumque occasione faciente, propriam relinquat ecclesiam: sed omnimodis aut excommunicetur, aut redire cogatur. Quod si aliquo commorationis tempore, invito episcopo suo, in aliena ecclesia habitans, ab episcopo loci clericus fuerit ordinatus, huiusmodi ordinatio irrita habeatur.

XIV.

Si quis clericus pecuniam dederit ad usuram, aut conductor alienæ rei voluerit esse, aut turpis lucri gratia genus aliquod negotiationis exercuerit, depositus a clero, a communione alienus fiat.

XV.

In secretario diacono inter presbyteros sedere non liceat, vel corpus Christi præsentem presbytero tradere non præsumat. Quod si fecerit, ab officio diaconatus abscedat.

XVI.

Photinianos, siue Paulianistas, secundum patrum statuta baptizari oportere.

XVII.

Bonofiacos autem ex eodem errore venientes, quos sicut Arianos baptizari in Trinitate manifestum

ANNO
 CHRISTI
 433.

stum est, si interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum chrismate & manus impositione in ecclesia recipi sufficit.

XVIII.

Ad Arelatensis episcopi arbitrium Synodus congreganda: ad quam urbem ex omnibus mundi partibus, præcipue Gallicanis, sub sancti Marini tempore legimus celebratum fuisse Concilium, atque conuentum. Si quis commonitus infirmitatis causa defuerit, personam vice sua dirigat.

Conc. Arelatense I.

XIX.

Si quis autem adesse neglexerit, aut cœtum fratrum, antequam Concilium dissoluatur, crediderit deserendum, alienatum se a fratrum communiione cognoscat: nec eum recipi liceat, nisi in sequenti Synodo fuerit absolutus.

Dist. 18. Si quis autem.

XX.

De agitatoribus, siue theatricis, qui fideles sunt, placuit eos, quamdiu agunt, a communionem separari.

XXI.

Pœnitens quæcumque defuncto viro alii nubere præsumperit, vel suspecta, vel interdicta familiaritate cum extraneo vixerit, cum eodem ab ecclesiæ liminibus arceatur. Hoc etiam de viro in pœnitentia posito placuit obseruari.

Iuo par. 15. cap. 71.

XXII.

Pœnitentiam coniugatis non nisi ex consensu dandam.

33. q. 4. Pœnitentiam coniugatis.

XXIII.

Si in alicuius episcopi territorio infideles aut fa-

culas accendunt, aut arbores, fontes, vel saxa venerantur, si hoc eruere neglexerit, sacrilegii reum se esse cognoscat. Dominus aut ordinator rei ipse, si admonitus emendare noluerit, communione priuetur.

XXIV.

3. q. 10. Eos
qui falsa.
Conc. Arelanense I.
Can. 14.

Eos qui falso fratribus suis capitalia obiecisse conuicti fuerint, placuit usque ad exitum non communicare, sicut magna Synodus ante constituit, nisi digna satisfactione poenituerint.

XXV.

Distinct. 50.
Hi qui post
sanctam.

Hi qui post sanctam religionis professionem apostatant, & ad saeculum redeunt, & postmodum poenitentiae remedia non requirunt, sine poenitentia communionem penitus non accipiant. quos etiam iubemus ad clericatus officium non admitti. Et quicumque ille, post poenitentiam habitum saecularem non praesumat. quod si praesumpserit, ab ecclesia alienus habeatur.

XXVI.

Haereticos in mortis discrimine positos, si catholici esse desiderant, & si desit episcopus, a presbytero cum chrismatis benedictione consignari placet.

XXVII.

Conc. Arausiac. I. cap. 2.

Nullum ministrum, qui baptizandi recepit officium, sine chrismate usquam debere progredi: quia inter nos, iuxta Synodi constitutionem, placuit semel chrismari.

XXVIII.

De his qui in extremis periclitantur poenitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus im-

positione eis cōmunicari. Quod si accepto hoc viatico superuixerint, stent in ordine pœnitentum, vt ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitime reconciliatoriam manus impositionem recipiant.

XXIX.

Pœnitentiam desiderantibus etiam clericis non negandam.

XXX.

Eos qui ad ecclesiam confugerint, tradi non oportet: sed eos domini sui promissa intercessione exire persuadeant. Quod si ab ecclesia exeuntibus pœnale aliquid intulerint, vt ecclesiæ inimici, habeantur excommunes.

XXXI.

Si quis clericorum religionis negotia, vel spirituales causas ecclesiæ ad sæcularia patrocina, relicta Synodo, transire præsumperit, excommunicatione omnium ac detestatione dignus habeatur. Simili modo si causa inter clericos orta fuerit, ne inuito episcopo ad sæculares iudices deferatur, sed episcoporum iudicio terminetur.

XXXII.

Si quis autem mancipia clericorum pro suis mancipiis ad ecclesiam confugientibus crediderit occupanda, per omnes ecclesias districtissima damnatione feriatur.

Ino part. 16.
cap. 70.

XXXIII.

Si quis per testamentum manumissum in seruitute, vel obsequio, vel in colonaria conditione impremere tentauerit, animaduersione ecclesiastica coerceatur.

XXXIV.

Si quis in ecclesia manumissum crediderit in-

grati titulo reuocandum, non aliter liceat, nisi eum gestis apud acta municipum reum esse ante probauerit.

XXXV.

Si quis alibi consistentem clericum ordinandum putauerit, prius definiat vt cum ipso habitet. sic quoque non sine consultatione eius episcopi, cum quo ante habitauit, eum, qui forte non sine causa diu ab illo non ordinatus est, ordinare præsumat.

XXXVI.

Si quis episcopus in alienæ ciuitatis territorio ecclesiam ædificare disponit, vel pro agri sui, aut ecclesiastici vtilitate, vel quacumque sua opportunitate, permessa licentia, quia prohiberi hoc votum nefas est, non præsumat dedicationem, quæ illi omnimodis reseruanda est, in cuius territorio ecclesia assurgit: reseruata ædificatori episcopo hac gratia, vt quos desiderat clericos in re sua videre, ipsos ordinet is cuius territorium est: vel si iam ordinati sunt, ipsos habere acquiescat. & omnis ecclesiæ ipsius gubernatio ad eum, in cuius ciuitatis territorio ecclesia surrexit, pertinebit. Et si quid ipsi ecclesiæ fuerit ab episcopo conditore conlatum, is in cuius territorio est, auferendi exinde aliquid non habeat potestatem. Hoc solum ædificatori episcopo credidimus reseruandum.

XXXVII.

Quod si etiam quicumque ecclesiam ædificauerit, & alium magis, quam eum in cuius territorio ædificat, inuitandum putauerit, tam ipse qui con-

tra constitutionem, vel distractionem, gratificari vult, quam omnes episcopi, qui ad huiusmodi dedicationem inuitantur, conuentu abstinebuntur. si ordinem excefferit, in reatu reuocabitur.

XXXVIII.

Subito obmutescens baptizari potest: & amen-
tibus quæcumque pietatis sunt conferenda.

XXXIX.

Energumeni baptizati, si de purgatione sua curant, & se sollicitudini ecclesiasticæ tradunt, monitisque obtemperant, omnimodis communi-
cent, sacramenti ipsius virtute ab incurfu dæmo-
nii, quo infestantur, purgandi, quorum iam osten-
ditur vita purgator.

XL.

Energumenis catechumenis, in quantum vel necessitas, vel oportunitas permiserit, de bap-
tismate consulendum.

XLI.

Si qui palam aliquando arrepti sunt, non so-
lum non assumendi sunt ad vllum ordinem cle-
ricatus; sed etsi iam aliqui ordinati, ab imposito
officio repellendi.

XLII.

In prouinciis nostris placuit de præsumptori-
bus, vt sicubi duo episcopi ausi fuerint episco-
pum facere, etiam si metropolitani episcopi episto-
lam non habuerint, & is qui ordinatus est, cum
ordinatoribus excludatur.

XLIII.

Placuit præterea, vt secundum Synodi institu-

Conc.
Arausic. I.
Can. 22.

ta non ordinentur diacones coniugati, nisi qui prius conuersionis proposito professi fuerint castitatem.

ANNO
CHRISTI
452.

XLIV.

Si quis autem in posterum accepta benedictione leuitica cum vxore sua incontuens inuenitur, ab officio abiiciatur.

XLV.

De his quos clericatui alligari ipsa vitæ gratia fugesserit, si forte internupta & duplicata matrimonia inciderunt, non vltra subdiaconatum ecclesiasticas capiant dignitates. Quod si facti forsitan sunt, ab ecclesiastico remoueantur officio.

XLVI.

Professas viduas, si conniuentiam præstiterint, cum raptoribus esse damnandas.

XLVII.

Conc. Va-
fense I.
Can. 4.

Secundum constitutionem Synodi Vafensis, quicumque oblationem fidelium suppresserit, aut negauerit, ab ecclesia, cui fraudem fecerit, excludatur.

XLVIII.

Ibidem c. 5.

Si quis episcopi sui sententiæ non acquiescit, Synodi legibus audiendum.

XLIX.

Secundum instituta seniorum, si quis a communione sacerdotali fuerit auctoritate suspensus, hunc non solum a clericorum, sed etiam a totius populi conloquio atque conuiuio placuit excludi, donec resipiscens ad sanitatem redire festinet.

ANNO
CHRISTI
439.

L.

Hi qui publicis inter se odiis exardescunt, ab ecclesiasticis conuentibus remouendi, donec ad pacem recurrant.

L I.

Si expositus ante ecclesiam cuiuscumque fuerit miseracione collectus, contestationis ponat epistolam. & si is qui collectus est, intra decem dies quaesitus agnitusque non fuerit, securus habeat qui collegit. Sane qui post praedictum tempus calumniator extiterit, vt homicida, ecclesiastica districtione damnabitur, sicut patrum sanxit auctoritas.

Dist. 87.
Si expositus.

Conc. Valente. Can. 10.

L II.

De puellis quae se vouerunt Deo, & praclari decore nominis floruerunt, si post viginti & quinque annos aetatis ad terrenas nuptias sponte transferint, id custodiendum esse decreuimus, vt cum his, cum quibus se alligauerint, communione priuentur: ita vt eis postulantibus poenitentia non negetur; cuius poenitentiae communio multo tempore differatur.

L III.

Si quis famulorum cuiuslibet conditionis aut generis, quasi ad exacerbendam domini districtionem, se diabolico repletus furore percusserit, ipse tantum sanguinis sui reus erit, neque ad dominum sceleris alieni pertinebit inuidia.

L I V.

Placuit in ordinatione episcopi hunc ordinem custodiri, vt primo loco venalitate, vel ambitio-

ne submota, tres ab episcopis nominentur, de quibus clerici vel ciues erga vnum eligendi habeant potestatem.

ANNO
CHRISTI
452.

L V.

Si quis sæcularium amore religionis se ad quemcumque sacerdotum crediderit conferendum, ipse sibi eum, quem erudiendi gratia susceperit, vindicabit.

L VI.

Hoc etiam placuit custodiri, vt nihil contra magnam Synodum metropolitani sibi æstiment vindicandum.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

¹ *Concilium Arelatense.*] Incertis sedibus iactatum hactenus fuit hoc Concilium: quod alii nimirum Constantini magni, alii Constantii eius filii temporibus adscripserunt. Verum, vt alia nunc omittam, ex Canone Vasensi qui in eo citatur, quemque illius Vasensis Concilii, quod ante decem annos celebratum est, reuera fuisse constar, liquido patet, Concilium hoc, vt nunc quidem se habet, post Vasense habitum necessario dici oportere: sed quo prorsus anno, & quibus ab episcopis celebratum sit, non liquet. De numero etiam Canonum magna est, vnde cumque ea orta sit, in antiquis exemplaribus discrepantia, quæ triplici discrimine continetur. Quidam enim codices in vniuersum primos tantum XXXV. Canones habent, vt Pithecanus vnus, & alter in bibliotheca Vaticana. In aliis Canones sunt XXXIII. vt in Corbeiensis, Lugdunensis, Foslatensis, & Tiliano Engolismensi: iidem ipsi videlicet, qui in editione sunt vulgata, quæ est Canonum XXXVII. quatuor demptis, quos prætermittunt, hoc est X. XI. XII. & XXVI. In Rhemeni vero codice, quem hoc loco representamus, Canones numerantur cum titulis suis LVI. adiectis & insertis ex Synodo Arausiana plerisque, qui in aliis codicibus desiderantur. Totum enim fere Concilium ex antecedentium Conciliorum decretis conflatum est, præsertim ex Nicænæ, Arelatenfis primæ, Vasensis, & Arausicanæ Synodi Canonibus.

² *Præter auiam, matrem, sororem.*] Codex Corbeiensis & Lugdunensis Græca voce, *præter thiam, sororem.* Synodus Nicæna Can. 111. *μὴ τεγγεῖν τῆς θείας*, id est, *amitam vel materteram.*

³ *Ad cellarii secretum.*] Lugdunensis, *ad cellarum secretum.* alii, *cellarii*, vt in Concilio Agathensi Can. XI. *a cellario, vel a secreto ministerio.*

in

ANNO CHRISTI 452.

in Aruernensi Can. XV. *in cubiculum atque cellarium.*
 * *Præcipue Gallicanis.*] Ita Rhemensis, ceteri fere omnes hæc verba non habent. Codex idem Rhemensis post Canonem XXV. titulum interfert: *Capitula de Synodo qua in territorio Arausico celebrata est.*

* *De his quos clericatui.*] Citatur hic locus in vetusta collectione Canonum codicis Pithœani, & dicitur similiter Canon XLV. Concilii Arelatensis II. Ex quo apparet exemplar Synodi, quo vsus est auctor illius collectionis, cum hoc nostro consensisse, atque hos etiam Canones Arausicanos complexum esse.

* *Si quis a communione.*] Editiones vulgatæ, & cum his codex Rhemensis: *Si a communione sacerdotali fuerit auctoritate suspensus episcopus, hunc &c.* vt de excommunicato tantum episcopo agi videatur. Ceteri omnes episcopi nomen non habent, & vniuersim enuntiant.

NOTÆ SEVERINI BINII.

* *Concilium.*] Sicut trium Vasensium Synodorum Canones, ita duarum Arelatensium subscriptiones & tempora confusa fuere. Subscriptiones quæ in editione Suriana Colonienſi & Veneta huic Arelatensi secundæ præfixæ antea extabant, sunt eorum episcoporum, qui Arelatensi primæ, anno Christi 314. celebratæ interfuerunt. Itaque lectori non ingratum fore speramus, quod eas huic Concilio ablatas, priori Arelatensi, cuius erant, restituerimus. Rationes quibus ad id faciendum inducti sumus, vide in notis eiusdem Concilii Arelatensis I. De varietate temporum dicemus infra, verbo, *Tempore Siricii.*

Duarum Arelatensium Synodorum subscriptiones & tempora confusa fuerunt.

* *Arelatense.*] Arelate, quod supra prolixius dictum oportuerat, est vrbis Narbonensis Gallia: inter Salyes: Colonia Sextanorum a Plinio lib. 3. c. 4. appellata, ideo quod e sexta legione milites coloni eo deducti sunt. Eam iuxta Rhodanum sitam, celeberrimoque emporio insignem scribit Strabo lib. 4.

* *Tempore Siricii.*] Editiones anteriores in titulo & inscriptione habent, celebratum fuisse hoc Concilium tempore Siluestri pontificis, & Constantini, circa annum Domini 326. idque occasione illius inscriptionis, quæ ante huic, nunc vero suo loco restituta, Arelatensi primo præfixa extat. In qua hæc verba: *Circa annum Domini 326.* subreptitia esse probaui supra in notis Arelatensis I. ex eo quod exploratum sit, ante tempora Dionysii Exigui acta ecclesiastica non nisi consulibus consignari consueuisse.

Hanc Synodum tempore Siluestri, quod habent vetustiores Conciliorum editiones, coactam fuisse, nequaquam sustineri potest. Primum quidem, quod Vasensis Concilii, quod circa finem pontificatus Iulii habitum fuit, mentionem faciat. Secundo, quod prædamnatam in Concilio Sirmiensi, anno Christi 357. sub Liberio, Photini hæresin, hæc Synodus Arelatensis iterato iudicio condemnet. Tertio demum, quod Canone 17. Bonosiacorum meminerit, quorum ante pontificatum Siricii nulla vsquam memoria reperitur.

Quo tempore.

Concil. Tom. 9.

K k k

Cum igitur ex notis Capuensis Concilii manifestum sit, tempore Siricii pontificis, mandato eiusdem Concilii, Bonofum hæresiarcham ab Anyfio Theffalonicensi episcopo damnatum esse, ad hæc tempora Siricii hanc Synodum Arelatensem II. referendam esse putavi. Spero futurum, vt sententia auctoritate aliorum scriptorum destituta, per rationes supra allegatas pondus deinceps & auctoritatem accipiat.

^d *Eos qui.*] Ex hoc Canone claret plures esse Nicænæ Synodi constitutiones, quam viginti, cum ista non sit de illarum numero. Idem in Arelatensi Concilio Can. 14.

CONCILIVM ^b ANDEGAVENSE ^{ANNO CHRISTI 452}

IN ORDINATIONE TALASII EPISCOPI celebratum IV. Nonas Octobris, Opilione V. C. consule, ^c anno Christi CCCCLIII. Valentiniani III. Augusti XXVIII. Leonis I. papæ XIII.

TITVLI CANONVM.

- | | |
|--|---|
| I. Vt clerici episcoporum iudicio acquiescant: illis inconsultis secularia iudicia non expetant, nec ad alium locum transeant; & sine illorum literis non peregrinentur. | VI. De iis qui alienis vxoribus coniugii nomine abutuntur. |
| II. Vt diaconi presbyteris humiliter deferant. | VII. Qui relicto clero ad sacularem militiam se conferunt, ab ecclesia eiiciendi. |
| III. A violentia & perputatione abstinendum. | VIII. Vt monachi, qui propositum deserunt, & sine literis vagantur, ad communionem non recipiantur. |
| IV. Vt qui ab extraneis feminis reuocare se nolunt, non ministrent, & ulterius non prouehantur. Qui vero tradendis vel capiendis vrbibus interfuerint, a communione & cõuiuui arceantur. | IX. Alieno clerico episcopus gradum ne augeat. |
| V. Vt qui accepta pœnitentia resiliunt, & sanctimoniales qua decidunt, cõmunionem priuentur. | X. De laicis excommunicare non liceat, nisi probatis criminibus. |
| | XI. Qui digami fuerunt, diaconi vel presbyteri non ordinentur. |
| | XII. Vt pœnitentia conuersis omnibus pateat, & pro episcopi astimatione venia concedatur. |

PRÆFATIO.

CUM ad ordinandum episcopum in ciuitate Andegavorum episcopi conuenissent, & ^d Talasius esset episcopus ordinatus, omnibus pariter residentibus, ^e Leone, ^f Eustochio, ^g Chariatone, Rumorido, ^h Viuentio, ⁱ Victorio,